



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 8. Secunda Epistola S. Cyrilli ad Nestorium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V.
A. C. 429.
runt a nobis, Prolem consubstantialem Ma-
tri suæ esse debere; nullam dari confusio-
nem Dei Verbi cum homine, sed unionem
Creaturæ, & humanitatis Domini, Deo
junctæ, & ex Virgine a Spiritu S. assum-
ptæ. Si quis adhibeat vocem THEOTOCOS
propter humanitatem, Verbo junctam, non
vero propter eam, quæ illam peperit, dici-
mus hanc vocem eidem non convenire, vera
enim Mater ejusdem naturæ esse debet, cum
eo, quod ex ea natum est. Nihilominus
tolerari potest, quia templum Verbi, ab
ipso inseparabile, ex ea assumptum est; non
autem, quia est Mater Verbi, nulla quip-
pe mulier illum, qui seipsa antiquior
ad Cler. est, parere potest. Cum hac episto-
Const. la Nestorius ad Papam Scripta sua de In-
carnatione, manu sua signata, per virum
nobilem, cui nomen Antiochus, sub-
misit.

§. VIII.

*Secunda Epistola S. Cyrilli ad Ne-
storium.*

Sub illud tempus S. Cyrillus epistolam
Paschalem 18vam ad an. 430. scripsit,
quo Pascha in quartam *Pharmouti*, id est,
30mam Martii, incidebat. In ea mate-
riam de Incarnatione tractat, & errores
Nestorii prolixè refellit. Epistolas dein-
de Clericorum suorum Constantinopoli
degentium, præprimis Diaconi, Marty-
rii,

rii, qui ibi negotia Ecclesiæ Alexandrinæ curabat, accepit. Hi ad S. Cyrillum miserunt responsionem, quam Presbyter Photius, epistolæ ejus ad Solitarios opposuerat, & quosdam Nestorii sermones recentiores. Indicabant etiam, quinam illi essent, qui Constantinopoli calumnias in ipsum spargerent, atque Nestorii Sectatores de pace, & reconciliatione loqui. Acceptis his monitis, S. Cyrillus alteram ad Nestorium dedit epistolam, Mense Mechir, Indictione 13, id est, circa initium Febr. an. 430. forte id in Concilio, quod pro more ante Quadragesimam agebatur, factum.

Sæculum V.
A.C. 430.

Conc. Chal.
Act. I. p. 158.

In hac epistola S. Cyrillus initio dicit, sibi criminationes, quæ contra se videntur, non esse incognitas, sed etiam Auctores earum scire; verum his missis oratione ad Nestorium convertitur, hortaturque tanquam fratrem, ut errores corrigat, tollat scandali materiam, & Doctrinæ Patrum inhæreat. Tum ad explicationem Mysterii Incarnationis progreditur, & dicit, in eodem Jesu Christo duas Generationes esse admittendas, æternam, per quam a Patre procedit, & temporalem, qua ex Matre natus est. Quando dicimus ipsum passum, & resuscitatum, nos non dicere, Deum Verbum in sua propria Natura fuisse passum, nam Divinitas impassibilis est, sed, quia cor-

Conc. Ephes.
p. I. c. 8.

Ap. Marc.
Garn. II.

p. 45.

Sæculum V.
A.C. 430.

pus, quod ipsi proprium datum, passum est, nos affirmare, ipsummet etiam fuisse passum; ita quoque dici esse mortuum. *Verbum Divinum*, inquit: est sua natura immortale, est vita ipsa; quia vero proprium ejus corpus mortem tulit, ipsum pro nobis mortuum dicitur. Ita etiam, cum caro ejus fuerit resuscitata, ipsum *Verbum* resurrexisse dicimus. Non dicimus, nos adorare hominem cum *Verbo*, ne vox: CUM, aliquam divisionis suspicionem injiciat, sed adoramus tanquam unam, & eandem Personam, quia *Corpus Verbi* non est ab ipso alienum. Et inferius: hoc pacto Patres Sanctam Virginem Matrem Dei appellare ausi sunt, non ideo, quasi *Natura Verbi*, aut *Divinitas* ejus initium suæ *Existentiæ* a Sancta Virgine accepit, sed quia in ea formatum, & anima rationali præditum est sacrum *Corpus*, cui *Verbum* secundum *Hypostasin* unitum fuit; hinc secundum carnem natum dicitur. S. Cyrillus sæpius in hac epistola repetit verba: unio secundum *Hypostasin*; nec contentus fuit uti voce Græca: *Prosopon*, quam ordinarie per vocem: *Persona*, reddimus, & quæ unitatem non satis exprimebat. Hic prima vice invenio hæc expressa verba: unio *Hypostatica*; Hæc etiam epistola inter cæteros, quas S. Cyrillus ad Nestorium dedit, est celeberrima.

§. IX.